
PROGRAMMA
QVO
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
RECTOR
D. BERNHARDUS
Barnstorff/
POLIATER ET MEDIC. PROF. PUBL.
FESTVM
PASCHALE
CIVIBUS SUIS INDICIT
AC
DE RESUSCITATIONE PLANTARUM
TRACTAT.



ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Univ. Typogr.





X arte Chymica hodie mihi Scriptionis argumentum ſumo; poſtqvam proxime abhinc ſub figura curationis corporum, qvaſi transfuſionem Sanguinis dominicæ paſſionis memoriam propoſui; & ante hac ex naturali diſciplinaLucis materiam ad Servatoris nativitatem ſimili commentatione accommodavi. Neq; enim impedit vario Sermone indutam, atqve alio ſubinde cultu exornatam producere veritatem. Non ipſa hæc qvidem; non ſalutaria, qvæ ſcribimus, monita talem ſermonis figuram reqvirunt: Sed tædio occurritur legentium. Sic etenim res eſt, ut qvotqvot ſumus homines, qvadam profundiſſime inſito naturæ malo non modo ipſi, qvæ meliora eſſe novimus tamen ſupine negligamus, verum etiam nihil facilius, qvam pie monita ad nauſeam usqve faſtidiamus. Me autem jamdudum artis meæ uſus docuit, medicinam qvam delicatioribus injucundam fore credidit auro illinere, aut confecto bolo palatis accommodare, aut qvæ ipſis maxime adverſa eſſe noveram, oppido diſſimulare. Fieri ſane non poteſt, qvin intimum cognationis genus, qvod corpori intercedit ac animæ, communem hunc utriqve efficiat morem. Fallor enim inſigniter aut certe ipſe gentium doctor, qvod ego de medicina nunc dixi, in pietatis promovendæ negotio fecerat, qvando aſtu ſibi captos eſſe ſcripſit (1.) Corinthios eo qvod gratis docuerat; aut qvando gaudii Significationem fecit, de progreſſu Evangelii, (2) ſive per manifeſta veritatis veſtigia, ſive per Prophaſin. Prophaſin ergo, cum Vos hodie de pietatis officio memoriæ JESU reſuſcitati ex mortuis debito compellandos habeo: qvid Vetat, qvin repræſentare qveam? Nolite enim â præſenti Scriptura expectare, aut prolixam de reſurrectione mortuorum diſputationem, aut explicatam è Sanctioribus literis ſententiam: hoc etenim è publicis, qvæ per has ferias cogentur, Concionibus larga manu vobis promitto; illud autem Superfluum fore exiſtimo, eo qvod rei fidem vel ſimpliciſſima pietate qvisq; confirmatam habet, aut certe habere debet. Eſt nempe in Chymicorum Scholis nomen *reſuſcitationis Plantarum* tam Solenne tamq; Vulgatum: ut ſi illius apud ſcriptores freqventiſſima mentio veritatis argumentum pareret, inhumanus ſit oportet, qvi rem ipſam in dubium adduceret. Tota autem Commenti ratio hæc eſt: Poſſe ex herbarum cineribus artis lege confectis,

(1.) 2. Cor. XII. 16.
(2) Phil. I. 18.



fectis, atqve vel ex rore vel fœcundo qvodam alio liqvore prægnantibus, in vitro clauso & ad ignem modeste relato aut herbam, aut saltim illius Speciem revocari. Artificio leges præscribi solent, qvæ conseqvuntur. *R. Semin: ex herba, qvamcunq; volueris* Librr. IV. *contundatur in mortario, atq; alias probe asservatum circa vesperam libero ac sereno aëri exponatur ut rorem deciduum ad satietatem imbibat. Eodem tempore excipiantur matut: roris mensuræ* IIX. *qvæ distillentur prius, & è relictis fecibus sal extrahatur, qvi in rore eodem denuo solutus, massæ seminis superinfundatur ad altitudinem digit.* III. *Vitrum hermetice obsignatum per integrum mensem reponatur in ventre eqvino usqve dum substantia seminis in gelatinam transierit, cui innatabit ros colore perqvam viridi tinctus, & in Suprema parte Spiritus qvasi Cuticula variegata conspicietur. Qvo facto idem, si cœlum serenum fuerit tamdiu solis atq; astrorum radiis exponatur; Sin autem turbida tempestas fuerit in loco temperanter calido constituatur: donec pituitosa materia ex fundo sese extollat altius, expiret superius extensa cuticula, crebri vapores intra vitrum observentur, & tandem omnis illa interior compages transeat in albicantē atq; cærulem cinerem.* Ajunt rei autores exinde, qvoties libitum fuerit, vitro aliqvantisper incalescente, posse produci plantæ figuram, folia item ac flores exactissime referentem, qvæ tamen igne remoto subsidat illico & evanescat. Descripsit hunc rei peragendæ modum ex Harsdörffero Schottus, (3.) ex illo Kircherus, [4] atq; ex hoc vicissim Erasmus (5.) Francisci, & nescio annon ex ipso (6.) Tackius, utut is dudum ante visum Francisci opus eam resuscitandæ plantæ rationem in arcanis sibi fuisse causetur. Enimvero si vel maxime ea via negotium procederet, non tam ex cinere, qvam è vero semine, eoq; tot modis fœcundo planta exsurgeret, neqve tamen qvidqvam aliud nisi phantasma & umbræ lusus exinde fieret. Nolo autem prolixior esse in recensendis, qvæ magno numero obstant, rationibus: qvales sunt notante ipso per ignem Philosopho; qvod redacto in cinerem frutice, illud qvoqve emoriatur ac pereat, in qvo viva olim recentis herbæ virtus posita fuerit; item qvod qvi naturam ea ratione invitam qvasi & contra seipsam agere cogant, nihil omnino proficiant, sed ubi ad summa deventum sit, forte ludentem naturam experiantur, nisi seipsos prorsus egregie fallant. Ex Conringio atqve item aliis, qveis de suo pondus insigne adjecit, experimen-

(3) *Techmic. cur. p. 886.*
(4) *Mund. Subterr. L. 12 p. 414.*
(5) Sinesl. Lust Garten *p. 760.*
(6) *Phas. Sophic. III. p. 46*

rimentum illud confutavit Celeberrimus inter nos perqve omnem Ecclesiam [7] FECHTIUS. Sed cum in nostra scientia, suprema sit autoritas, maxima probandi vis & omne prorsus arbitrium apud experientiam: merito etiam judices suspectam esse rem de resuscitatione plantarum, & in qva observatores suam sibimet ipsis credulitatem imponere passi sint, & qvem tot laboribus tamqve diuturna expectatione redemerunt fucum, eum pro reipsa suscipientes, denuo venalem lectoribus fecerint. Qvamqvam enim soleant interdum fallere experimenta aliorum, si qvis alius minus provide eadem faciat, qvod ipsum peculiari tractatu Boyle persequitur; Subinde tamen unus itemqve alter citius falli præsumitur aut fallere, qvam omnis reliqvorum artificum cohors rem oscitanter agere aut negligenter. Offendit nempe experientiæ defectus tantopere (8) Henric: Meibomium ut jam dudum is non dubitaverit modo, sed propter id solum, semotis qvibuscunqve aliis incommodis planissime negaverit posse resuscitari plantas. Scilicet sic res est, & qvia superius enarratum εὕρημα ad solos; qvos dixi autores, pertinet, reliqva qvæ forte ex Qvercetano aut Gaffarello aut Libavio aut Borello afferuntur, primum fontem agnoscunt Medicum qvendam Polonum, qvi vitreas ejusmodi lagenulas magno numero circumgestasse, atqve varii generis plantas in iis ad ignem admotis exhibuisse fertur; qvod qvamqvam verũ esse largiar, tamen non immerito dubitares, annon impostor ille fuerit aut malas cœteroqvi artes exercuerit; Deniqve qvicqvid sigillatim aliqvos annotasse legi, de lixivio aut aqva sale cujusdam plantæ infecta, si congelentur illius figuram referentibus; de aceto Sqvillarum in Tackii vitro sqvillas repræsentante; de reliqviis succi malorum Cydoniorum gelido aëri expositis in figuram ipsius arboris concrescentibus, & si quæ sunt alia: non dicam quidem me illa pro fabulis reputare, crederem tamen in eorum experimentorum classem reponi, qvæ spectatores reqvirant, qui qvod velint haud difficulter somnient, qvodqve visum esse cupiant, id præsentissime se intueri opinentur potius, qvam credant. Mireris tamen; qvi fiat: ut in re tam lubrica, tam inutili, ac pene dicerem vana tanti tamen viri non modo studium consumserint & industriam; sed fidem etiam ipsis desponderint: & qvæ facile crediderunt; partim ne errasse viderentur; partim ut novi qvid, invenisse censerentur; aliis qvasi ipsissimam veritatem propinarint?

7] Nott. Christ. Exerc. II. §. 27. ss.

8) Epla ad Spicelii Tractat. de corpore glorioso

rint? Tantopere in isto sibi artificio placent, qvi ejus veritatem tuentur; ut vix alio qvam regum aut principum aspectu id dignius esse prædicent: imo, qvo aliqvo gradu propius sit divinæ autoritati, *Ferdinando III. Romanorum Augusto* methodum superius expositam adscribunt. Qvin, qvod certe in Cartesii patrono ac parentatore vix reperiri posse credas (9) Borellus arcum eotenus intendit; ut qvæ hactenus dixi pro qvotidianis habens, parturire se scribat inventum ejusmodi, qvo qvoscunqve confusos liqvores sale inde extracto in pristinæ originis figuram revocare atqve dijudicare velit. qvin de animalium deqve ipsorum hominum specie ex cineribus per Chymiam reducenda qvædam addit, anxie admodum rogans, ne sibi inventæ rei gloriam qvispiam eripiat alius. Æqva sane petiit, dignus qvi eadem impetraret: nam neqve is inventi gloriam occupavit, neqve à cuiqvam potuit eripi. Qvod si tamen ego qvidpiam conjicio, causam ejus rei esse statuo: bonos viros cum viderint forte difficilem esse ex rationis judicio resurrectionis mortuorum probationem, & virtutem verbi divini nimis proterve hic à qvibusdam atteri, voluisse (namq; molliter nunc de iis sentiam atqve meliori ipsos animo egisse supponam, qvam opinione) opem ferre pietati. Atqve si demonstrandi facultatem ex natura ipsi haberent; posse ex cinere illud reduci, unde ille enatus fuerit: tum crediderunt se necessitatem imposituros cœteris, atq; vi argumenti ad divinæ potentiæ fidem omnes veritatis hostes cogi posse. Decebat tamen eos reminisci, qvod ipsi bona mente qværebant argumentum, si vere effecissent, magis fortasse fraudi, qvam emolumento fuisse doctrinæ de corporum resuscitatione. Qvid enim est pronius empæctis, qvid freqventius agere, qvam ubi audiunt per naturam fieri posse, qvod nos fidei mysterium esse perhibemus, illud jam ipsum eludere & tandem impudenter proculcare? Recordari debuerant, studio illo præpostero res præternaturales præstandi insidias strui divinæ providentiæ: ad qvam cum spectet illud, qvod ex semine emortuo ac putrido novum prodire faciat fruticem, nonne ejus virtutis gloriam impetunt, qvi suo Morte flores elicere aut plantas gignere adoriuntur? Eam autem, de qva dixi, rationem aliqvos induxisse, aut id facere potuisse ad fidem resuscitationis plantarum exinde colligo: qvia nihil est in omni isthoc artificio, qvod non transsumtum sit è schola theologorum, & reapse conveniat

(9) *Observ. Cent. IV. n. 61*

in resuscitationem mortuorum. qvod ipsum brevissime adhuc eloqvar. Nunqvid enim est aliud illa artificum circa plantas resuscitandas varietas; qva alii ex aqva cum cineribus sale congelata, alii ex mero sale, ex plantæ substantia alii materiam sibi petunt operationis: Nunquid ea aliud est, qvam vestigium, veræ ex mortuis resurrectionis? Audiverunt nempe illi, humani corporis reliqvias, qvocunque demum pervenerint, sive in undis fuerint dilutæ, sive in vermium aut ferarum nutrimênta cesserint, sive in terram reversa sint ac permutatæ conservandas tamen esse, & olim suo qvasqve corpori restituendas. Hinc emersit suspicio, ex in superstitio: plantarum vitalem Spiritum, cineribus inclusum, qvomodocunque illi diluti sint aut macerati, tamen lege artis in pristini ordinis formam posse restaurari. Porro qvia corpora demortuorum putredine primam corripi ac tandem in puluerem transire videmus, & tamen ex eo cinere menti pristinum pollicemur habitaculum, qvando pulvis ille ac dispersus cinis elevabitur ad gloriam æternæ salutis: Inde revera primum suscepta est cogitatio, de producendis è cinere suo plantis, unde alii ad arbores transilierunt; alios ultra etiam intempestiva abripuit audacia. Sed qvod illi maxime voluerunt dare effectum, id vicissim ex resurrectionis doctrina mutuati sunt. Nimirum plantam ita vellent restituere, qvasi olim integrum atqve intemeratum corpus reddendum nobis è scriptura divina didicerunt. Ast qvia ipsis etiam fatentibus planta ipsorum judicio restituta nihil nisi nubecula est aut vapor; qvamdiu ignem habet suppositum agitatus eo modo ut videatur esse aliqvalis plantæ effigies, (qvalis & ea ipsa fuit, qvam olim me alicubi vidisse memini) sicubi, qvæ minus comparent, qvæqve figuræ desunt, ex ingenii tui felicitate velis aut simplicitate addere vel corrigere. Qvæ cum ita sint, valeant illi cum imitamento suæ resuscitationis mortuorum: qvippe toto cœlo errant, & cum res ipso atqve numero idem corpus integerrime restituatur olim; ipsi ne qvidem genuinam rei in cineres redactæ umbram exprimunt. Qvando autem de Chymicorum igne, communi omnium rerum menstruo audistis, ejus præcipuam opem esse in artificio allegato circa plantas: tum vosmet memineritis, nobis qvoqve ignem & caloris efficaciam expectandam esse, qvæ non porro è longinqvo crepare, sed propemodum præsens hoc adurere videtur seculum. Nonne enim pleraqve, qvæ carnem no-

stram

ſtram circumſtant , qvæqve per univerſum orbem diſperſa ſunt, indicium facere videntur, tempus illud facto qvaſi impetu in nos irruere & proxime abeſſe, qvo rerum principiis ac naturæ rudimentis calore ac æſtus vehementia liqvefactis, concutientur mortalitatis humanæ rudera & extremum ſententiæ diſcrimen inibunt. Qvodſi autem præterea ſcire velis, annon & illud ex chymica reſuſcitatione ad veram adplicare liceat, qvod illa qvidem non uno apud omnes temporis tractu ſucceſſum habuiſſe obſervetur: Scriptores etenim mihi ſupra nominati, alii experimento tres alii plures impendendos fuiſſe menſes alii item biennium & ultra teſtantur. En Tibi pronam viam. Non omnes enim uno reſurgemus tempore, namqve alio eosqve plurimos omnium extrahet ſepulchris extrema judicii dies; ſed illud tempus, qvi cum ſervatore reſurrexerunt, anticipaſſe, qvis veſtrum eſt, qvi neſciat. Qvid? qvod unius eſt itemqve alterius illa ſenrentia Theologi inde à reſurrectione Chriſti omnibus ſeculis & per hæc noſtra etiam tempora ex majoribus noſtris pie defunctis aliqvos reſurgere & communem illum reſucitandi terminum antevertere. Deniqve, nam finis ſcribendi eſſe debet, qvicqvid in Chymica reſurrectione fundamenti locum habet aut ſpeciem, de ſale plantarum omnium vitali ſpiritu, eodemqve indelebili: illud nonniſi ex veteri partim figmento de animarum tranſmigratione & Spirituum animalium hinc inde facto commeatu; partim ex ſcripturario de ſalis natura ſermone coaluit. Ad qvod poſterius præſidium ipſe etiam Tackius ſeſe recipit, & ex ſalvatoris dicto de ſale terræ ſuam propugnat ſententiam. Non diffiteor autem doctrinam ſalutarem de Chriſti merito & fide divinæ gratiæ ſalis vocabulo denotari; propter eam vim qvam exercet in nobis, ut non modo animam noſtram ab æterna morte præſervet, ſed corpus ipſum etiam vitali qvodam Spiritu imbuat, qvo poſſit olim reviviſcere: Unde vos agnoſcitis deſumtam eſſe de ſale principio reſuſcitandæ plantæ fabulam. Meum non eſt decidere qvæſtionem Theologicam utrum pii æqve ac reprobi per meriti Chriſti virtutem olim ſint reſurrecturi: Illud autem facere neqveo qvin uos cohorter, Cives: ut ſive res ita ſe habeat, ne in perniciem veſtram merito Chriſti ad reſurgendum olim uti debeatis; ſin autem ſoli pii per Chriſti meritum in vitam ſint redituri, ut operam adhibeatis omnem, ne alia ratione exſuſcitemini. Certe omnium ratio maxime tuta erit,

ut

ut pietatem colatis: tum qvocunqve res ceciderit, ubiqve per Christum salutariter expergiscemini, Atqve hoc ipsum est dicendi caput, qvo vos hodie qvam maxime velim. Me autem monitore vobis opus esse non judico modo illud à vestra obtineam pietate & in salutem vestram studio & adversus honestos mores amore: qvo dominicæ resurrectionis memoriam sic agatis; ut in Christo vos peccatis mortuos esse, cum ipso autem ad vivam fidem ac genuinam pietatem, resurrexisse, ac per ipsum tandem cœlestis gaudii participationem conscensuros esse, non modo apud conscientiam vestram sitis persvavissimi, sed in laudem Patris, qvi in cœlo est, omnes alii sentiant. Hoc vos agentes porro agere instigabunt sacri oratores his feriis undiqvaqve prodituri; his studiis vestra adjungite, iis freqventer adeste, & nunqvam nisi meliores ab ipsis recedite; patientes correctionem si extra statum pietatis, ac emendationem si intra illum versemini. *Ex illo sane nimium qvantum projecti sunt illi, de qvibus publica est ad me querela delata, qvod potissimum in æde Mariana, durantibus ipsis sacris è regione Sacri suggestus, discursitent obambulent murmura concitent, profane agant, & qvæ non faciant instrumenta divinum præconem turbandi & offendendi auditorium. Si qvid ergo precibus apud illos effici potest aut mea autoritate; per eam illas obtestor ut imposterum iis abstineant discursitationibus: qvæ uti Deum graviter lædere videntur; ita tandem vel me, vel aliũ qvemcunq; magistratum ad severiorem provocabunt animadversionem.* Agite cives postqvã vidistis hodie qvam ego de plantarũ resuscitatione tenuiter existimem: vos tamen me excitare ad pietatis studia volentẽ benigniter accipite & promptissime audite. Solemus, uti circa prolem suã cuivis licet in inventis nostratibus ambitio si esse. Nolo ergo vos ignorare quod cum vos hodie qvasi plantas in spem patriæ & divinã gloriam succrescentes curandos habeam atqve regendos: me vehementer gavisurũ esse, siquidem mea autoritate partim ac vestri officii lege illud asseqverer, ut talem inde ab hodierna die morem induatis talem vitam agatis: qvo omnes videant & mihi concedant qvod vobiscum pietatem ac tranquillitatem academicam meo magistratui; successori autem meo cives probos atqve egregios; patriæ vestræ solidam spem majorumque vestrorum detritos cineres omni Chymicâ arte felicius resuscitarim.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus ipsâ feria Paschatos 1703.